ac aliis sollempnitatibus observatis, que in concedendis et locandis iuribus curie consueverunt et debent, concederent, quatuor tantum viris ydoneis in terris famosis et in aliis locis iuxta qualitatem locorum ipsorum in minori et numero consueto; et in emendis cabellis ipsis maiorem numerum non admitterent.

[11.] promiserunt etiam et convenerunt, quod sine fraude et pure, non odio, non prece, nec amore, omnibus conquerentibus, absque personarum exceptione, prompto zelo iustitiam ministrarent, curie nostre demania et iura quelibet illesa servarent, et quod ea non negligent nec ipsa in alios ullo alienacionis titulo vel locacionis transferrent nec per se occuparent aut occupare permitterent, set occupata et detenta ab aliis nostre curie nunciarent, nec a partibus plus reciperent, nisi quod esset eis iuxta regni constituciones permissum; et quod predicta omnia per baiulos et cabellotos, qui sub eis baiulacionum exercent officia, mandarent inviolabiliter observari, recepto inde ab eorum singulis ad sancta dei evangelia corporaliter iuramento, in quo sacramento baiulorum ipsorum inserendum est per eosdem secretos: quod baiuli ipsi penas seu multas regni constitucionibus comprehensas, editis per dictum quondam imperatorem, ab eis, qui in eas inciderent, prout ad ipsorum officium et congnicionem cause pertinere noscuntur, nulli omnino honore et gracia deferente sine diminucione requirerent et reciperent requisitas. et de hiis omnibus adimplendis et observandis statim, quod ad partes ipsas acce-